

88 89 90 91 Denuo Textus inculcat, ut ex antiqua, et laudabili institutione, nonnisi praevia Missa, sepeliatur Cadaver. Vide quae circa hunc Ritum adnotavimus in Titulo de Exequiis, §. 4. et 5. Insuper videndi, Gavant. *T. 1. p. 4. tit. 18. et p. 2. tit. 13. per tot.* Necnon a Portu, in fine Operis sui jam alibi allegati; et alii Caeremoniarum Sacrarum Scriptores, qui de Missa Defunctorum, in die Obitus, diffuse loquuntur; quorum animadversiones hic non refero, quia ad Rubricas Missalis, non vero Ritualis nostri sunt pertinentes.

## OFFICIUM DEFUNCTORUM.

### TITULUS UNDECIMUS.

#### SUMMARIUM.

- 1 *Gavantus* multa scripsit de Officio Defunctorum.
- 2 Chorus est locus praescriptus pro recitatione Officii.
- 3 Quando tamen solemniter est dicendum.
- 4 Quatuor sunt tempora recitandi Officium Defunctorum.
- 5 Alii assignant quinque tempora.
- 6 Officium Defunctorum dici potest quodcumque deferatur Cadaver.
- 7 De die Tertio.
- 8 De die Septimo.
- 9 De die Trigesimo.
- 10 De Anniversario.
- 11 Anniversaria celebrari debent in Ecclesia, in qua sepultum est Cadaver.
- 12 Antiqui habebant alia tempora.
- 13 Antiphonae duplicantur in his Officiis.
- 14 *Requiem aeternam*, est conclusio Psalmorum.
- 15 Vesperae non semper cum toto Officio dicuntur.
- 16 Officium Defunctorum non habet secundas Vesperas.
- 17 Vesperae an dici possint in mane?
- 18 Preces dicuntur flexis genibus.
- 19 Non dicuntur Preces cum toto Officio.
- 20 Omnes genuflectunt, excepto Episcopo.
- 21 Invitatorium Officii Defuncti quando dicatur?
- 22 *Pater noster* dicitur secreto.
- 23 Lectiones leguntur eo modo, quo in Matutinis tenebrarum.
- 24 Quare Lectiones terminentur sine *Tu autem Domine*, etc.
- 25 Responsorium *Libera me Domine*, est particulare.
- 26 Si pro uno fiat Officium, Versiculi sunt dicendi in singulari.

1 Pauca circa Officium Defunctorum a me dicenda sunt, ne videar aemulari, et contendere velle cum Doctissimo Gavanto, magno Rubricarum interprete, qui in suo *Thes. Sacrorum Rituum*, *T. 2. sect. 9. c. 2.* diffuse hanc materiam pertractavit; nom Officium Defunctorum, pro appendice Breviarii appositum est, tamquam non omnino pertinens ad Horas Ca-